

I O A N. V I R D V N G V S

Sig. 7. Gra. 1. Min. 35. Sec. 14. Ter. 45. Inter addendū abijce in-
tegram circuli reuolutionem quoties signa excesserint numerū
duodenarium. In gradibus, si numerus superat tricesimū, aufer
30. proq; ablati illis unitatem, adscribe signis. Et minuta si nu-
merum superauerint sexagesimū, adijce pro 60. illis detractis,
unitatem ad gradus. Simili modo fac in fractionibus alijs. Iam
est & illud quoq; notandū ijs, qui in supputationibus his nuncq;
sunt uersati. Quod cum in annorū columna suam non inueniāt
annum, ingredi debeant semper cū proximo minori. Vt si uerbū
gratia, Post radicem ingrediendū esset cum 62. anno, Colligen-
dus primus motus est, qui respondet annis 60. Nam hic nume-
rus, minor & proximus in hoc exemplo est. Hoc facto, ingredi-
tor cum duobus residuis annis, & quod in occurso reperies, pri-
ori inuento motui subscribe, & adde.

A quibus principijs siue Radicibus pendeat nostra hæc in
Tabulis supputatio. Caput XI.

HOc caput non fueram appositurus, nisi de eodem me ad-
monuisset Iacobus Curio, cui, hæc dum scriberem, nego-
tium dedi, ut medios motus ad salutarem Christi Natiuitatem,
simulq; ad Bethlehemiticū cælum supputatos, reduceret ad E-
delbergam. Qui quidem, ut harum rerum apprime peritus est,
inuentam duarum longitudinū differentiā per 15. ut fieri oportet,
diuisit, Tempusq; ex diuisione repertum, adiecit suo (quo cū
ingrediebatur) tempori. Ac primarias illas ad Natiuitatē Chris-
ti Radices, ut hic sequitur ad Edelbergam statuit.

Radices